

eis praenotionibus meminit Hippocrates, icterum post septimum diem esse signum sublatis sudoris. Hoc innuere videtur, morbum tunc neque per sudorem, neque per abscessum terminari. Exempla hujusmodi proponit *Ballonius libr. 2. consil. 31. p. 261.*

AD MORTEM terminari solet, juxta *aphor. 62. Hipp. libr. 4. ἐκόςσιον ἐν τοῖς πυρετοῖσιν ἔκταξι τῆς γίνοντα πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν.* Quibus in febris icterus ante diem septimum supervenerit, malum. Probè hic notandum, cujus in commentò ad hunc aphorismum *Galenus* meminit, quòd in quibusdam exemplaribus adjectum conspicitur circa finem: NISI HUMORES PER ALVUM CONCEDANT. Forte àn ex mente *Hippocratis*, qui *1. epidem. sect. 3. 1. 65.* duorum aegrotorum mentionem facit. Nempè, *Heraclicida* ardente laboranti sextò die regius supervenit morbus, cui largus sanguis è naribus profluxit, alvusque conturbata erat, & per vesicam perpurgabatur, vigesimò die judicatione est liberatus à morbò. Qui autem regium morbum habuerunt, nullà superveniente vacuatione, mortui sunt, ut *Panagareon*, servus *citatò loco* itidem descriptus.

Permutatur etiam febris ardens in aliquam partium principalium, ut cerebri, jecoris, ventris, &c. inflammationem erysipeladotem, vel in ipsum erysipelas ob familiaritatem materiae & viarum. Transmissa materia ad cerebrum, phrenitidem inducit; ad hepar inflammationem parit. Hæc autem permutatio morborum acutorum ut plurimum lethaliatem infert. Nam rarissimum est, quòd quis ex permutatione acuti morbi in alium acutum evadat. *Petrus Salius Diversus comm. 1. de morbis sect. 2. textu 16.*

Per siccitatem ad mortem terminari, probant *Hippocratis 1. de morbis circa finem* elegantiav erba: ὅσοι δ' ὑπὸ καύσῃ ἀποθνήσκουσιν πάντες ὑπὸ ξηρότητι ἀποθνήσκουσιν, qui ex febre ardente intereunt, omnes ex siccitate pereunt.

CAPUT XXXV curationem orditur.

Hostis alterum oppugnaturus non prius intendit lucam, quam machinam.